Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/vitaesanctorumin04cont

SCRIPTORES AETHIOPICI

SERIES ALTERA — TOMUS XXIII

VITAE SANCTORUM INDIGENARUM

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES AETHIOPICI

VERSIO

SERIES ALTERA — TOMUS XXIII

VITAE SANCTORUM INDIGENARUM

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS: CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCV

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

JUN 12 1944

12705

I

GADLA FERĒ-MIKĀ'ĒL

SEU

ACTA SANCTI FERĒ-MIKĀ'ĒL

INTERPRETATUS EST

BORYSSUS TURAIEV.

Ferē-Mikā'ēl (Fructus Michaelis), qui ab Aethiopibus sanctus habetur, monachus et antistes terrae Warab fuit. Vixit saeculo xv, regis celeberrimi Zar'a-Yāʿqob tempore. Acta eius brevia in codice chartaceo parisino (Coll. d'Abbadie, nº 161), ab amanuensibus cl. v. Antoine d'Abbadie conscripto continentur.

B. T.

Petropoli, Kal. Februarii, A. D. 1905.

ACTA SANCTI FERĒ-MIKĀ'ĒL

In nomine Dei, iusti in omnibus viis suis, p. 3.
Trini in personis suis, Unius in Trinitate sua,
cuius existentia est a saeculo
et pariter in saeculum,
praeter quem non est formatus Deus
neque ante eum, neque post eum erit;
ipse est primus et novissimus,
sanctus sanctitate sua
et castus castitate sua.
Nemo est qui cogitationem intelligat eius,
qui creavit hominem ad imaginem suam,
qui facit angelos suos spiritus.
A myriadibus myriadum gaudentium currus eius *trahitur*,
cuius sunt caeli et cuius est terra,
et cuius in manu omnia sunt,
cuius corpus non consumitur mactatus
et cuius lateris sanguis non deficit exhaustus.
Quem glorificemus et laudemus in saecula saeculorum.
[Amen.

Incipimus auxilio Dei altissimi
descriptionem laborum et certaminis
patris nostri Fĕrē-Mikā'ēl luctatoris,
suavis opere, casti,
pastoris gregis fortis,
praeceptoris legis et Evangelii.
Quid scribam vel quid dicam?
Servus enim tardioris linguae et insipidi labii sum.
Sed, si Deus vult, omnia fiunt.
Certamen autem iusti viri nonne mirandum et stupendum est?
*Melle est dulcius p. 4.
et sale sapidius
et menti iucundum.

Attendite igitur, o dilecti mei,
ut narrem vobis pauca, pro indignitate mea,
colligendo ea ex ore duorum vel trium testium,

BQ
3974
.I74
v. 4

de constantia certaminis boni
Fĕrē-Mikā'ēl, patris mei,
qui ab utero matris suae sacerdos electus est.

Filius fuit sacerdotis, columen fidei, quod non inclinat se, administrator legis ecclesiae. Patrem habuit sacerdotem Marʿā-wina-Krĕstos nomine; matris eius nomen erat Nayā-Ṣĕyon. Uterque fidelis erat et Deum timebat. Et educaverunt eum in sapientia et constantia secundum legem et praeceptum. Cum tempus discendi venisset, permansit in monasterio, psalterium Davidis discendo et Scripturas sacras recitando. Deinde diaconus factus, in praestanti ministerio more diaconatus administrando perseveravit. Cum vidisset pater noster Andreas, nĕbura-'ĕd, suavis opere, pulchritudinem praestantiae patris nostri Fĕre-Mikā'el, ornavit eum vestimento et cingulo et fecit eum monachum. Post haec inchoavit bonum certamen, in opera precationibus danda non cessavit, et in domo patris nostri Frumentii permansit, cum certabat.

Quodam die, cum media nocte ad ecclesiam descendebat, apparuit ei pater noster Andreas, margarita famae, manu patrem nostrum Frumentium tenens in via, et apprehendit patrem nostrum Fĕrē-Mikā'ēl et dixit ei: « Non est sors tua, ut in domo Frumentii maneas, sed potius sors tua est domus mea: i in eam! ». His dictis, prehendit manum eius et ad portam suam deduxit eum, et inde evanuit. Quam ob causam, sanctus ille e domo patris nostri Frumentii exiit, et in domum patris nostri Andreae intravit, ubi permansit in constantia, ad ministerium hora sacrificii et precationis properando, et in ecclesia famulando, et incensum lucernamque rite porrigendo. Cum in hoc
p. 5. officio perseveraret, *sacerdos factus est, et constantia indutus, in officio presbyteratus ministrando assiduus erat. Deinde cucullo a patre nostro Marḫa-Ṣĕyon, pastore gregis, enarratore Scripturae accepto, cavernam excavatam in domo sua effodit, et in ea sedebat, una tantum hora somno data. Et per dies in hac caverna morabatur, plurimas genuflexiones faciens, quarum numerum quomodo accurate scribamus, nescimus. Saepe numero psalterium Davidis per dies et noctes recitabat, et Evangelium Iohannis eiusque Apocalypsin perlegebat, et omnia officia horarum observabat. In solitudinem se recepit in ieiunio, a cere-

visia siceraque bibendis et oleo consumendo, nisi diebus festis aut sabbatis, se abstinens. Paullulum tertio quoque die consumebat, et in hac vivendi ratione novem annos permansit.

Anno nono elegerunt eum sancti, ut monasterio praeponeretur, sicut fuerat de eo vaticinatum: multi enim sancti de eo prophetaverant et praedixerant ei, priusquam solitarius factus esset. Cum in aliam regionem profecturus esset, homo quidam sanctus, cuius nomen erat Ṣagā-Za'ab, coram omnibus dixit: « Non est sors tua; noli proficisci, nam est in te *praepositi* munus ». Et in regione 'Enfrāz multi sancti eremitae et viri Dāgā narraverunt ei omnia et dixerunt ei: « Iussum Dei est in te; ne recedat tutela tua a monasterio Andreae, patris tui: in alio enim loco non est sors tua ».

Revertamur ad reliquam partem narrationis interruptae. Post quam sancti elegerunt patrem nostrum Fĕre-Mikā'ēl rabban, sicut de eo vaticinatum erat, ut pater multis esset, flevit amare ob multam tristitiam, et cum fleret, abductus est ad portas regis, ubi menses sex permansit, exspectans, ieiunio et precibus non intermissis. Et nolebat tergiversari, sed permanebat se submittendo. Mense autem sexto, missus est ad eum nuntius *a rege p. 6.
nostro Zar'a-Yāʿqob, qui dixit ei: « Revertere in monasterium tuum ». Hoc audito, sanctus, valde gavisus, postridie surrexit et iter facere coepit. Cum autem proficisceretur, occurrit ei in via sacerdos quidam venerabilis, nomine Bakŭĕra-Ṣĕyon, qui eum allocutus est et dixit ei: « Vidi hodie de te visionem et audivi vocem, quae dixit: a Deo est ille. Ita mihi videtur; noli dignitatem fugere! ». Respondit ei pater noster et dixit: « Inde ab hoc tempore servat me Deus! ». Tunc, eo die, persecuti sunt nuntii regis patrem nostrum sanctum et reduxerunt eum de via et, vehementius quam ante tristantem, ad regem adduxerunt. Et factus est pater noster Fĕrē-Mikā'ēl antistes (nebura-'ĕd) provinciae Warab, et consedit in throno patris nostri Honorii (Anorēwos), certamen, quod inceperat, non intermittens. Et inde a tempore, quo praepositus est, non inscendit mulum, neque cupivit divitias; interdiu in area iudicii morabatur et verbum Dei praedicabat, noctu in cantando et adorando cum timore et tremore commorabatur. Non nisi tertio quoque die edere poterat, quia in dignitate *praepositi* erat, et cum sacerdotibus praedicando circumibat. Monachi autem impediebant eum et

valde urgebant, rogando tamen et precando vix persuaserunt ei, ut cotidie hora cenae ederet. In ieiunio autem sanctae quadragesimae gustabat tertio quoque die, diebus quinquagesimae (tempore paschali) non prandebat, ex quo cucullam acceperat, nec nisi vespere edebat; ex quo solitarius factus fuerat usque ad diem mortis suae non bibebat vinum, neque siceram, neque cerevisiam, non edebat pingue, sed panem cum sale, non bibebat nisi aquam et vivebat, ut inops, in certamine bono.

Die quodam, venit ad domum patris nostri Fĕrē-Mikā'ēl ex hominibus quidam ḫaras, quod vertitur ḏask, tutelae eius se committens, ut ab ira regis salvaretur. Cum vidisset sanctus illum maledictum, percussit faciem eius et dixit: « Quis te ad me adduxit? ». Respondit ille: « Mea sponte ad te veni, e custodibus, quibus me rex commendavit in urbe Agāy fugiendo. Cur mihi alapam duxisti? ». Non respondit ei sanctus ullum
p. 7. verbum, *neque timuit eum, sed postea narravit de eo regi, qui iussit eum adduci. Et adductus est. Tunc, collectis sociis eius, hominibus incantatoribus, iussit rex eum interfici, et interfectus est ille cum sociis suis. Cum paucis diebus post audivisset rex noster, fidei administrator, patrem nostrum sanctum Fĕrē-Mikā'ēl illi impuro Dask alapam duxisse, valde gavisus, benedixit ei et praemium ei dedit, dicens: « O vere presbyter! o vere monachus! Deus benedicat tibi! ». Et accepta benedictione a rege probo, revertit in monasterium suum; quare laetatus est grex eius. Et permanebat in labore praedicandi nuntiandique, in disciplina et cognitione.

Deinde instituit flagellationem in area iudicii in eos qui peccaverant et erraverant, et valde contristabatur de iis qui verbo Scripturae non obtemperabant, et optabat ut bonum et rectum assequerentur. Clam autem praecipiebat et dicebat e filiis suis quibusdam: « Date iis edere et bibere, quia propter flagellationem esuriunt et sitiunt ». Et filii, obtemperantes ei, nutriebant eos et potum praebebant illis.

Sic omnes beneficiis afficiebat,
et plus se ipso alium diligebat.
Ubi similis ei est?

Cum venerat ad eum hospes, tempore cenae vel prandii, cibabat eum, ipse oculo suo inspiciens, non famulis suis confidens, propter peregrinorum amorem.

Et dabat elemosynam pauperibus egenisque,
et clam vestiebat nudos,
manducare dabat esurientibus,
bibere sitientibus,
quia pater multorum erat.

Cum autem praedicaret cultum Dei, ei monstrata est, eo loco in quem venerat, silva delubri idolorum, in qua divini hariolabantur. Qua visa, miratus est sanctus et dixit: « Homo vanitati similis factus, cur hariolatur, cum sit Deus altissimus? ». His dictis surrexit et iussit silvam hanc excidi, et excidi coepta *est. p. 8.
Sanctus autem signo crucis faciem *suam* in nomine Trinitatis signavit et excidentibus benedixit. Arboribus deiectis, iussit eas in ligna scindi et diffindi et igne cremari, et crematae sunt. Sed sub una arbore inventa sunt pocula et incensum, ab hariolis praeparata. Perfregit sanctos pocula et tus impurum dissipavit. Deinde ibi columna domus hominum hariolorum et lapide amplo in speciem ianuae introitus inventis, sic iussit sanctus et dixit: « Tollite hanc columnam et hunc lapidem et portate in ecclesiam, ut sint eius aedificandae gratia ». Et portaverunt illi homines, sicut praeceperat iis beatus, et consecuti sunt praemium a Deo.

Die quodam venit ad eum homo quidam e militibus regis, tutelae eius se committens, cum ad bellum proficisceretur, et dixit ei: « Noli oblivisci mei in precibus tuis! ». Respondit sanctus: « Deus sit tecum! ». Quibus dictis, surrexit et dedit ei pulverem e sepulchro patris nostri Honorii. Quo accepto, profectus est miles ille ad bellum cum fide. Cum in terra paganorum menses sex peregisset, aegrotavit in terra paganorum servus eius, morbo febris correptus. Tum aliquantum de pulvere illo sumpsit, labra eius tetigit et comedendum dedit, quo facto sanatus est illico. Deinde aegrotavit ipse morbo ventris. Et iterum sumpsit aliquantum de pulvere illo, quo gustato, sanatus est subito. Plurimi e militibus regis interierunt et mortui sunt aut febri illa, aut gladio, aut hasta, is vero homo precibus patris nostri Fĕrē-Mikā'ēl salvus fuit et incolumis domum suam rediit. Deinde ad patrem nostrum sanctum venit, qui cum vidisset eum, surrexit, et Trinitatem sanctam adoravit, et dixit: « Gloria Deo, qui te e bello reduxit atque precationem pecca-

toris non neglexit ». Et homini huic benedixit. Et ille narravit ei omnia, quae in terra infidelium facta erant, quae admiratus sanctus, gratias egit Deo.

Postea, quodam die apparuit per visionem filio regis in oppido Ganĕz, ubi aegrotabant servi eius morbo malo, qui k ē r
p. 9. appellatur, et dixit ei: « Surge, egredere hac domo et *migra in alium locum ». Is rogavit: « Quis es? ». Respondit: « Ego sum Fĕrē-Mikā'ēl. Misit me ad te pater meus Honorius, et allegavit mihi ut dicerem tibi haec ». Qua legatione ex ore sancti in visione audita, tacuit ille. Iterum apparuit *ei sanctus* eodem modo et dixit eadem. Experrectus mane, narravit servis haec dicens: « Monachus quidam bis apparuit mihi et dixit mihi: ‘ Egredere ex urbe hac, ne moriaris ’. Respondi et dixi ei: ‘ Quis es tu? ’. Dixit mihi: ‘ Ego sum Fĕrē-Mikā'ēl, missus et legatus huc ab Honorio, patre meo ’ ». Responderunt servi et dixerunt ei: « Agnoscesne eum, si inveneris? ». Respondit: « Sane, agnoscam eum ». Et surrexit filius regis ille, Honorius nomine, et profectus est cum servis suis. Cum ad portas patris sui venisset, vidit patrem nostrum Fĕrē-Mikā'ēl, e castris regis exeuntem. Tum servis suis: « Ecce, inquit, monachus qui apparuit mihi! ». Quibus auditis, admirati sunt propter eum.

Respicite iustum virum
qui, cum in corpore esset, spiritualis apparebat
et quocunque vellet proficiscebatur.
Nonne miranda est narratio de praestantia eius
qui, cum n ĕ b u r a -' ĕ d esset,
nec de munere suo gloriabatur,
nec, cucullo accepto [1], spuebat salivam
de honore corporis Christi sollicitus,
nec iustitiam suam manifestam faciebat.

Die sabbati quae lucescit in prima sabbati, cum in sanctuario staret et e sacerdotibus unus inciperet alta voce cantando et diceret: « Deus omnipotens, qui universum creasti per Iesum Christum Salvatorem nostrum, qui sabbatum instituisti et requievisti eo die », tum vidit sanctus oculis suis thronum t ā b o t tribus cubitis a terra elevari. Quo viso, miratus est et obstupuit.

[1] I. e. ex quo monachus factus est; cfr. infra, pag. 26, l. ult..

Deinde, cum in urbem Zad ad praedicandum cultum Dei *descendisset, p. 10. monstrata est ei silva magna, in qua idolatrae idola colebant. Surrexit ille, et sumpta securi, excidit *eam*. Praecepit deinde filiis suis et incolis urbis huius, dicens: « Properate excidendo! ». Paruerunt ei et exciderunt hanc silvam. Item iussit et dixit iis: « Findite ligna et portate in domos vestras et cremate ea ». In humeros sustulerunt et in domos suas reverterunt, ubi ligna arborum silvae illius cremaverunt, sicut iussi erant a sancto. Sed unus homo qui idola colebat, non obedivit patri nostro, neque cremavit quidquam e silva illa, patre nostro nesciente. Quam ob causam corripuit hominem illum morbus gravis, ut ad mortem perveniret. Invenit etiam sanctus sub silva illa lutum fictile, ad simulacrum asini factum, ut idololatrice adoraretur. Sciscitatus est incolas urbis et dixit eis: « Narrate mihi et educite sortiendo eos, qui idola colunt et fatidicos interrogant ». Et tradiderunt illos ei sortiendo. Adhortatus est illos et imposuit illis paenitentiam, sicut oportebat. Feminam quandam, in qua spiritus vaticinii erat, captam ligavit et cum fictili illo ad simulacrum asini facto misit et deduxit in monasterium suum, ubi feminae illi baptizatae nomen Tĕmĕrḫana-Māryām dedit et paenitentiam imposuit. Facta est fidelis. Deinde ad portas regis feminam illam cum asino fictili deduxit et narravit *de iis* regi nostro. Milites, videntes eos, mirati sunt; sancti autem beata dicta est memoria et laudatum est opus. Et benedixit ei rex valde et amabat eum, sed etiamsi ita res se haberent, non omittebat *sanctus* quidquid de laboribus certaminis sui a se inchoatis. Cotidie flagellationem saepe numero faciebat.

Quodam die cum locuti essent ei filii, dicentes: « Pater, pater noster, bibe paullulum cerevisiae, nam aestu solis afflictus es! » iratus est et recusavit bibere. Tum illi cum alio nĕbura-'ĕd illustri consenserunt et patri nostro metropolitae, abbae Gabrieli, dixerunt: « Pater, absolve patrem nostrum, ut bibat cerevisiam ». Pater noster vidit eos et quae de se ab illis dicta erant, intellexit. Quibus auditis, metropolita dixit eis: « Cur *urgetis p. 11. eum? Videte, quaeso, quomodo facies eius luceat! Praestantior est vobis ille ». Quibus auditis tacuerunt; sanctus autem gavisus, non gloriabatur ob ea, sed gratias agebat et laudabat *Deum*.

Qui una cum rege in terram Davarro cum proficisceretur, adduxerunt filii eius viaticum iumentis et euntes secum fere-

bant impedimenta et iumenta, ut mos est portae regis. In via aufugit asinus unus cum sarcinis ei impositis. Narratum est de eo patri nostro et dictum: « Aufugit asinus cum bonis tuis ». Quibus auditis maestus fuit pater noster et dixit: « Fiat voluntas Dei! ». Postridie inventus est asinus ille oneratus sarcina sua, propter precationem patris nostri electi, cum neque bestiae tetigissent eum, neque latrones abstulissent.

Cum in Davarro esset, dedit ei rex mulum et calceos magnos, et Ṭiṭum (?) secum ad castigandum abduxit. Qui cum afflictus esset die constrictionis, venit *sanctus* ad regem cum praeceptoribus (mamherām) et consecutus est gratiam eius. In via supervenit ei ventus magnus turbinis diabolicus, qui ab eo benedictus in duas partes divisus est. Quod videntes multi, venerunt ad eum et dixerunt: « Salve! ». Die Theophaniae gustavit aliquantum cerevisiae, salivae quantitate. Cum Apocalypsin Iohannis recitaret, aqua precis ebullivit. Quod videns homo quidam, dixit ei: « Noli recitare ». Cum socius eius fatigatus in ascendendo montem esset, tutelam eius in sequendo rege suscepit, nam psalterium Davidis et onus et sartaginem ferream et pelvim eius fictilem suscepit, ut ipse portaret; ille autem expeditus ibat. Quod videns procul rex dixit: « Ecce re vera monachus! ». Et in cohorte regis dixit *satelles* quidam: « Precare, ut in domos nostras revertamur ». Dixit: « Melior est nobis in caelo domus ». Iter faciendo non fatigabatur, ter vel quater cum ieiunaret, ii qui edunt et bibunt et onera *sua iumentis* imponunt, fatigantur. Precando a peste liberavit, et cum precaretur, verba non faciebat, et noctu valde vigilabat, et lacrimae eius sicut aqua fluebant. Et in Qasā (?), cum venissent ad eum bestiae, prece eius abactae sunt. Deinde icit pestis manum eius, et obiit pater noster Ferē-Mikā'ēl XVIII die mensis sane. Amen.

II

GADLA ZAR'A-ABREHĀM

SEU

ACTA SANCTI ZAR'A-ABREHĀM

INTERPRETATUS EST

BORYSSUS TURAIEV.

Codice (Coll. d'Abbadie, n° 161) quo continentur acta sancti Ferē-Mikā'ēl, habetur quoque vita sancti aethiopis Zar'a-Abrehām (Semen Abrahae). Hic eodem tempore ac Ferē-Mikā'ēl vixisse videtur, nempe saeculo xv. Dignitate militari qua apud regem, cuius nomen in Actis silentio premitur, functus erat, relicta, monachus factus est et, sicut Ferē-Mikā'ēl, Honorii (Anorēwos), primi provinciae Warab antistitis et monasterii in Ṣegāgā fundatoris, memoriam sepulchrumque honore praecipuo colebat.

B. T.

ACTA SANCTI ZAR'A-ABREHĀM.

In nomine Sanctae Trinitatis, p. 15.
Unius potestate et consilio,
Cuius dies ignoti sunt,
Quae in saecula saeculorum permanet,
Quae caelum sicut cameram suspendit,
Quae terram super dorsum maris stabilivit,
Quae libravit in pondere montes
et colles in constantia staterae;
ante Quam nullus deus fuit,
et post Quam nullus erit,
Quae est Deus primus et novissimus,
Rex regum non abrogandus,
Qui ipse constituit et abrogat,
Qui facit secundum voluntatem suam
et omnia ad cogitationem suam ictu temporis absolvit.
Huiusmodi Deum laudemus et canamus,
Illum decet laus et honoratio
per saecula saeculorum. Amen.
Incipimus, adiuvante Deo Opifice,
scribendo vitam et labores
Zar'a-Abrehām, schemate monachorum induti,
qui corpus suum vexavit,
qui rore Rāmā [1] irrigatus fuit.
Audite, igitur, o dilecti mei, tacendo,
mentionem nominis Zar'a-Abrehām,
qui stando permanebat, ut somnum depelleret.
Nemo est, qui iniuria iustum virum offendat,
ut dixit propheta diligenter:
« Qui timet Dominum, non formidabit [2] »

Fuit vir quidam fidelis, Amḥā-la-Ṣĕyon nomine, nobilis genere, p. 16. et militum regis praefectus. Uxoris eius nomen erat Walata-Ṣĕyon. Deum timebant et in matrimonio legali vivebant, et Deum

[1] « Aethiopibus est *nomen coeli tertii* » (רָמָה) DILLMANN, *Lex. aeth., s. v.* — [2] *Sap. Sirac.*, XXXI, 16.

orabant, ut sibi filium benedictum daret. Et die conceptionis sancti, quo Amḥā-la-Ṣĕyon uxorem suam cognovit, magnus terror fuit: contremuit statim cum ipsa domus, tum omnia quae in ea erant, usque ad laquearia super eam posita. Neque recessit ab ea timor ex hora illa noctis, cum illucescit dies, usque ad vesperam, neque sciebat quid esset. Cum vesperasset, recessit ab ea timor tremorque, et conceptus est in utero eius filius laetabilis. Novem mensibus post, ut mos est, dolores partus subire coepit: non aegrotavit tamen vehementer, sed priusquam feminae obstetrices ad eam vocatae essent, sanctum peperit. Statim lucernam lucis ex adverso parvuli adspexit et velavit propter timorem faciem suam. Cum velamentum suum aperuisset, iterum lucernam lucis ex adverso parvuli sui adspexit. Cum feminae obstetrices venissent abscondidit se lucerna illa. Deinde sumpsit eum et lactavit eum, mirata. Et gavisus est pater eius quod peperit uxor sua. Ut scriptum est, attulerunt eum ad sacerdotem, ut baptizaretur. Et baptizatus est, et Zar'a-Abrehām nominatus. Et crevit parvulus ille, et in timore Dei educatus est.

Die quodam, cum ille cum parvulis colluderet, venerunt ad eum Angeli ignei, qui sanctum vocaverunt eique dixerunt: « Veni, vocat te Dominus! » Dixit iis: « Venite, ducite me! ». Cum iret cum iis, sequebatur eum e parvulis unus, qui corporis propinquitatis vinculis cum eo coniunctus erat. Quo viso, iusserunt sanctum reverti, et reversus est. Iterum vocaverunt eum dicendo: « Proficiscamur! ». Et coepit iter facere. Cum iret, iterum sequebatur eum parvulus ille, sicut antea. Iterum iussus est: « Revertere, etiam nunc; cur sequi te facis et tecum alium adducis? ». Deinde vocaverunt eum dicentes: « Veni, sequere nos ». Tertium vocatus, solus secutus est eos sanctus, postquam iusserat socium suum reverti neque se sequi, qui reversus est. Sanctus autem, cum igneis illis profectus, in ecclesiam sanctam
p. 17. arcae Michaelis, *capitis vigilantium, intravit, et ibi vidit virum terribilem, in throno sedentem et igne vestitum. Dixerunt sancto ignei illi, qui eum vocaverant: « Prosterne te », et prostravit se. Tunc audivit vocem gaudii, et ignei narraverunt ei de magnis rebus, et in throno sedens ille iussit dixitque: « Ducamus eum, ut nobiscum sedat ». Tunc adducta est flens mater eius, et propter matris fletum dimissus in locum, ubi ludens sederat, reversus est.

Postea, adultus in arcu tractando hastaque iaculanda, in equitando et venando instructus est. Paullo post obiit pater eius; sanctus autem uxorem duxit, ex qua liberos non procreavit, et cum ea vivebat. Deinde illa, priusquam concepisset, obiit. Et sanctus Zar'a-Abrehām maestus planctu magno deflevit eam. Postquam luctum deposuit, Deus gaudio affecit eum, et ad laudationem suam suscitavit. Deinde, in officio constitutus, et in locum patris sui militum regis praefectus factus, validus et fortis fuit, et in bello luctator. Iterum duxit uxorem, ne cum femina alterius peccaret: non enim intrabat ad feminam nuptam, verbum Pauli in mente tenens: « qui se continere non potest, uxorem ducat: melius est enim uxorem ducere, quam fornicari [1] ». Paullulum temporis cum ea vixit, neque tamen illa liberos ei peperit, et obiit, sicut prior uxor eius. Flevit eam amare.

Postea coepit per singulas horas precari et se prosternere quantum potuit, cum praefectus militum esset. Et inchoavit ieiunium, et vespere post prandium in lacum magnum descendebat, ibique stans, donec dies illucescebat, commorabatur. Ita vigilando permanebat. Quodam die venit ad eum pater noster Za-Libānos, praeceptor eius et dixit ei: « Cur, mi fili, in lacu commoraris, quaeso? Cave tibi a diabolis, cum non presbyter, nec diaconus sis, ut scripturas recites et diabolos vincas ». Respondit sanctus: « Dominus Deus meus adiuvabit me, diaboli non superabunt me. Nunc veni, mi pater, ut tibi lacum, in quo maneo, monstrem, et benedic mihi ». Dixit ei praeceptor eius: « Eamus, *monstra mihi! » Surrexit sanctus Zar'a-Abrehām, et cum prae- p. 18.
ceptore suo profectus, monstravit ei lacum magnum, in quo commorabatur. In ripa lacus huius magnae arbores et spinae erant, incultus locus ille belluarum et hyenarum erat. Quo viso, miratus praeceptor eius obstupuit et dixit ei: « Hoc iter desertum est; nonne te belluae devorabunt? nonne tibi diaboli bellum inferent, cum noctu te invenerint? » Respondit sanctus et dixit ei: « Potentia Dei servabit me a belluis et a diabolis ». Dixit ei praeceptor eius: « Fili mi, non licebit tibi, lacus enim terribilis est; cum undae exsurrexerint, submergeris pessumque ibis ». Dixit sanctus: « Quid mihi, si unda fluvii me submerserit? Nonne resurget corpus meum, terra, tutelae suae commissa, red-

[1] Cf. I *Cor.*, vii, 9.

dente [1], aut nonne perveniet ad Deum anima mea? Nunc benedic mihi, mi pater ». His auditis, valde miratus est pater eius et benedixit ei, et in monasterium suum reversus est. Sanctus autem in consuetudine sua perseveravit, cum in lacu commorabatur. Cum descendebat, sequebantur eum Angeli caeli, tura dantes et lucernas accendentes. Et cum e lacu exibat, faciebant eadem et eum in aedes eius adducebant. Talem consuetudinem sibi fecit. Et fuit pauperum amator. Et in domo sua instituit, ut sollemni quoque die edere et bibere ecclesiae daretur et monachorum tutelae id committebat.

Cum ad bellum cum militibus profectus esset, convenerunt turmatim viri pagani, ut cum Christianis dimicarent. Quibus visis, Christiani se ad pugnam, cum media nox esset, paraverunt. Sanctus autem paullulum recessit et precari et se prosternere coepit, et quingenties se prostravit. Tum in caelo versus orientem tres soles valde lucentes et euntes vidit. Deinde apparuerunt ei Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sub trium virorum specie, et miratus est. Deinde convertit eum Deus e bello. Tum voluit monachus fieri et venit ad patrem nostrum Za-Libānos e monasterio Yalmetan, et monachus factus est. Repudiavit opes et possessiones, domos et agros; amavit pauperes. Et diebus Praedica-
p. 19. tionis [2], cum clausis portis septem diebus ieiunasset, *surripuit eum Spiritus in montem altum et sustulit eum super verticem eius. Datae sunt ei alae, sicut aquilae, et vidit ibi quattuor angulos mundi, quo valde gavisus est. Quodam die apparuit ei pater noster Antonius et loquebatur ad eum facie ad faciem. Et dedit ei gratiam, amorem et concordiam cum eo iunxit. Et ab eo tempore in laboribus permanebat, cum prudentia praeditus luctaret.

Deinde voluit in regionem Ṣegāgā in monasterium patris nostri Honorii gratiae pleni proficisci, et nuntiavit matri suae monachae, et dixit ei: « Ibo in Ṣegāgā ». Dixit ei mater eius: « Quando videbo te, nam cor meum, caritate affectum, dubitat? ». Dixit ei Sanctus: « Quid tibi opus est me in corpore videre? videbis me animo; melius est tibi, ut gratiam apud Dominum Deum nostrum inveniamus ». Et prosecuta est eum mater eius, amare

[1] Cf. *Henoch*, LI, 1. — [2] « Nomen festi ecclesiae Abyssinicae, sc. introitus ieiunii Adventus ». DILLM., *Lex.*, *s. v.*

flendo, et cum ea homines civitatis unanimiter. Et venit ad sepulchrum patris nostri Honorii iustus vir ille, ibique habitaculum suum posuit. Et illuminabat ei Dominus lucernas lucidas in domo eius, cotidie, in tenebris noctis. Cum intrabat aut exibat, praecedebat ei vir quidam, et ducebat eum, ignorante sancto quis esset vir ille. Quodam die apparuerunt illi iusto viro patres nostri Honorius et Frumentius et dixerunt ei: « Pax tibi; noli timere neque dubitare, nam evangelista eris cum viris Damot electis et sanctis et concordibus; multi monachi erunt in regione Damot, eremitae et abstinentes, labores subeuntes et luctatores ».

Cum in regionem Sāmbabo cum sacerdote quodam proficisceretur, apparuit ei, ut consuetudo erat, vir lucernam ei accendens stando. Postea in throno excelso consedit, lucernam splendentem tenens. Interrogavit sanctus et dixit: « Quis est, qui stans lucernam mihi accendit et in throno consedit? ». Responderunt ei et dixerunt ei qui cum eo erant: « Qui lucernam accendit Iohannes est Colobus; ille est, qui stat et qui sedet ». Deinde ad sepulchrum patris nostri Honorii reversus, precans, sicut ei mos erat, permansit ibi, et dixit sermonibus cum sanctis oblectaretur: « Quomodo *damnabitur anima pec- p. 20.
catoris, quem notum habebam, qui resurrectionem mortuorum, cum Christianus sit, negat? ». Quodam die apparuit peccator iste patri nostro Zar'a-Abrehām, viro iusto, et dixit ei: « Sum pater, in damnatione; intercede pro me apud Deum tuum ». Quo audito, sanctus, valde contristatus, apud Deum altissimum supplicare coepit et impegit sibi clavos ferreos quinque: duos in aures suas, unum in nasum, in palmam manus dexterae et sinistrae duos infixit. Ea nocte manifestavit se ei denuo peccator iste et dixit ei: « Misertus est mei Deus propter preces tuas ». Tum laetatus est sanctus.

Revertamur ad principium narrationis interruptae. Postquam inchoavit certamen bonum, cum ad commorandum in lacu iret, vidit et invenit in via diabolum impurum, et timore eius correptus est. Diabolus autem ante eum stetit. Tunc obsignavit eum sanctus in nomine Trinitatis, et statim vocem de caelo audivit dicentem: « Noli timere et tremere, o serve Dei; Maria, domina omnium, semper tecum est. Vide hunc thronum magnum: si viceris diabolum istum, in throno hoc sedebis ». Qua voce au-

dita. stabilis et validus sanctus factus est et certamen adauxit. Diabolus autem evanuit et pulvis factus est. Commoratio sancti in lacu non paucorum dierum fuit, sed duodecim quadragesimarum, cum esset in saeculo, totidemque cum monachus esset. Propter ea magnam gratiam et gloriam invenit, et in visione multas vaccas vidit stantes sine numero a Zera-Qarqi usque ad ʽEnagomāy, et octo tauros magnos cum illis. Paucis diebus post supplicando huius rei interpretationem cognovit: vaccae, animae hominum sunt, magni autem tauri, praefecti (makuānent). Deinde adauxit sanctus certamen suum et laboribus affecit corpus suum. Non ascendebat in lectum strati sui, neque dabat somnum oculis suis et palpebris suis dormitationem et requiem temporibus suis [1], sed commorabatur stans pedibus suis. Et cum
p. 21. stando precaretur, audivit e caelo vocem, quae dixit: « Pax *tibi, horae observator, qui sine cessatione evidenter es ». Et cum multum staret et laboraret, exierunt e pedibus eius vermes, putruit corpus eius et ceciderunt frusta de corpore decerpta, quae sumpta sepeliverunt discipuli eius. Et cum in his omnibus afflictionibus esset, preces non intermisit. Et quodam die dixit in [2] visione sua: « Cum ex ecclesia exirem, cecidi in faciem meam, et sustulit me vir, mihi ignotus, cui locutus sum et dixi: ‘ Cur cecidi hodie? ’ Respondit et dixit mihi qui me sustulit: ‘ Quia gravis es ob magnum ornatum tibi datum ’. Tunc sustuli oculos meos et vidi multos reges ornatu indutos, et magnos praefectos (makuānent) quibus ornatus erant. Paullulum recessi ab illis et vidi Mariam reginam, ad quam veni, et vidi Iulianam et Enmāmarēnam velamentum super caput Virginis tenentes, cum una a dextera staret, altera a sinistra. Inter illas cum Maria Virgine Sibyllam conspexi, quam, valde gavisus, vocavi et dixi: ‘ Sibylla! Sibylla! filia mea, valesne? ’ Respondit mihi Virgo et dixit: ‘ Per dies quinque adduxi eam tibi, et non vidisti eam ipse ’ ». Deinde experrectus est sanctus a visione, quae eum abstulerat, et valde propter Sibyllam gavisus est. Per multos dies supplicavit pro ea, neque vestigium illius invenit; tunc propter in visione contemplatam valde gavisus est, quia amabat illam.

Cum staret sanctus, non stabat solum, sed vigilabat et cru-

[1] *Ps.* CXXXI (CXXXII), 3-4. — [2] *Sic*; forte legendum « de visione »; cfr. p. 28, l. ult.

cifixionem Creatoris cum meditatione precabatur. Trabem, ubi stabat, extensam impositam ad imaginem crucis fecit, altera in latitudinem eius adaptata. Cotidie noctu a Completorio usque ad Matutinum manus suas extendebat et funiculo eas adligabat, et collum suum funiculo trunco arboris adligabat, et in hac agendi ratione quinque annos peregit. Et prae multo dolore, cum truncus arboris collum eius vexaret, intumuit ut collum bovis iugo tempore arationis oneratum, tergumque eius incurvatum fuit. Et ex eo tempore, quo initium standi posuerat, per quinque annos in mente sua recordabatur, quo modo crucifixus esset Creator *suus, et quo modo denudatus vestibus eius, et quo p. 22. modo consputus. Deposuit statim sanctus vestes suas et stetit nudus, attulit cinerem et coopertus totoque corpore unctus eo est, et flevit amare, Davidis psalterium canendo. Tunc hora sexta venerunt ad eum tres viri honorabiles, quorum super capita flamma ignea fulminabat. Hi viri erant Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui locuti sunt et dixerunt ei: « Cur nudus et cinere unctus stas? ». Et illico imperarunt leoni magno, quem secum adduxerant, et dixerunt ei: « Iter dirige ». Rugiit leo et sonum edidit. Sanctum autem induerunt Domini illi luce gratiae magna, et evanuerunt Pater et Spiritus, Filius autem octo dies, consolans eum, cum eo permansit, et octava die ab eo evanuit.

Iterum, diebus ieiunii attulit ei homo quidam, qui eum amabat, pellem capri, floribus intertextam, quem sanctus induit. Deinde exuit et dedit alii pellem illam, aspernatus eam et nudus, ut antea, cinere vestitus est. Tum audivit vocem in curru, quae dixit: « Gaude et laetare ». Et locuta est multa, quod vestem repudiasset et alii dedisset. Quibus auditis gavisus, alte saliit sanctus. Et si scripsissemus quo pervenit saliendo, dicerent homines: « Unde supervenit mendacium istud? » Quam ob causam illud non scripsimus.

Voluit etiam sanctus Zar'a-Abrehām omnia repudiare, et congregavit sanctos fratres suos, et dixit iis: « Quo modo in regnum caelorum intrem, cum dives sim? » Responderunt et dixerunt ei: « Quid habes? ». Dixit iis: « Psalterium Davidis et Apocalypsin et Iohannis Evangelium, et vestem de pelle caprina, et tunicam de pelle bovina. Omnis supellex domestica non est mihi desiderabilis, ut mihi in terra comparem ». His dictis, omnia repu-

diavit, et dedit alii Psalterium Davidis et Apocalypsin et librum Iohannis, et vestimentum suum repudiavit et alii dedit, et vivebat cum alio Psalterio et cum aliis libris, cum cantaret et precationes faceret. Et a permultis laboribus, cum vexaret eum morbus gravis, quominus in ecclesiam iret impeditus, maestus
p. 23. fuit et dixit: « *Quid faciam, cum inchoatum certamen deseruerim? ». Et venerunt ad eum Pater et Filius et Spiritus Sanctus sub trium virorum imagine, et consolati sunt et gaudio affecerunt eum, et attulerunt ei cenam sanctam, quam unus ex illis, ut sacerdos, porrexit ei, cum alter subdiaconus esset, et tertius officium diaconatus ministraret. Propter haec, non in ecclesia sed in domo eius peracta, valde gavisus est.

Deinde preces et ieiunium adauxit, cum se ab aqua bibenda et sale sapido etiam diebus festorum et sabbatis consumendo abstineret, et ita sex annos usque ad mortis suae diem peregit. Itaque a cibo edendo, a pane vel tosto vel cocto se abstinuit, et vivebat quinque annos non gustando, uno anno postquam ab aqua bibenda et sale consumendo destitit. Et fecit sibi cibum folia et betam et herbam terrae, et quod e fructibus arborum comestibile est. Paucis diebus post, incepit edere decimo vel duodecimo die postquam olus et sinapi vel linum cocta erant, cum foetidus esset odor foedus arborum et herbarum, quae comedebantur. Cotidie manu iuvenis cuiusdam sine misericordia arbore venefica, in qua multae spinae erant, millies flagellabatur. Cum venissent ad eum homines peccatores, ut se tutelae eius committerent, pro iis tribus milibus verberum, donec viam eorum inveniret, flagellatus est. Et diebus Passionis, cum passionum Domini sui recordaretur, moerebat et flebat vehementer et ter vel quater vel quinquies millies flagellabatur. Et die crucifixionis crucifixionem Domini nostri recordabatur, quid fecissent Iudaei Filio propter amorem eius erga homines. Et dicebat: « Quomodo patienter tulit Dominus, caeli terraeque Rex, qui sedet super Cherubim [1] et qui cernit interiora abyssi, quomodo sicut latro correptus est noctu et a retro contumeliis affectus? Quomodo crimen falsum ei obiectum est, cum patientia indutus passiones suscepit? Quomodo ut crucifigatur deductus, apud pontifices accusabatur et vestibus nudatus est, et coram Pilato constitutus?

[1] *Ps.* xcviii (xcix), 1.

Quomodo *Iudaei alapas ei ducebant et verberabant et arundine p. 24. caput eius percutiebant? Quomodo sputum suum impurum in faciem eius spuebant, et manus et pedes eius perfoderunt et acetum cum felle et myrrha mixtum bibere *ei* dederunt? Haec omnia passus est Dominus propter amorem erga homines». Et sanctus eo tempore decies millies arbore rosae sanctae, spinarum plena, flagellabatur, in animo tenens Domini flagellationem. Et percutiebat caput suum cultro acuto, et destillabat cruor eius manans ut patellam expleret. Et accepto *ad adiuvandum* discipulo suo, terram fodiebat, in eam cruorem suum effundebat et pulverem supra ingerebat. Et in aures suas duos clavos ferreos fecit, illisque perfodit se. Et cum Dominus aceto potatus fuerat, stercus bovinum acerbum cum aqua expressum, cum felle mixtum, bibebat. Tunc usque ad diem Resurrectionis flendo permanebat.

Et cum supplicaret pro peccatoribus, cibum suum pulverem fecit, neque edebat quidquid, cum de misericordia *Deum* rogaret; augebat ieiunium precesque. Et induebat palmae folia vestis loco, donec scabrum fieret corpus eius; induebat etiam cilicium, cum supplicaret, et adaugebat certamina, donec Deum misericordia affectum videbat. Multoties visitavit eum pater noster Adam, inductis, ut sectarentur, filiis suis Abel et Seth, et dixit ei: « Pax tibi, Zar'a-Abrehām, et pax patri tuo, Newāya-Māryām et omnibus filiis Amḥā-la-Ṣĕyon ».

